



A 231  
3


00. J.

Hist.  
III C. 2.

K  
10

FAVENTE GRATIA DIVINA  
SPECIMEN  
THEOLOGIAE NATVRALIS  
PRIMVM,  
**D E V M**  
**G R A T I O S I S S I M V M**  
EVINCENS,  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTATE  
PHILOSOPHICA  
**P R O R E C E P T I O N E**  
IN EANDEM  
TVEBITVR  
P R A E S E S  
**F R I D E R I C V S S A M V E L**  
**B O C K ,**  
REG. BOR.  
R E S P O N D E N T E  
**I O H A N N E W O L F F G A N G O**  
**M A N I T I O ,**  
WARGENSI PRVSSO, PHIL. ET MEDIC. CVLTORE,  
ANNO MDCCXLIII. D. XX. NOVEMBR.  
HORA VIII- XII.  
IN AVDITORIO PHILOSOPHORVM.  
\*\*\*\*\*  
REGIOMONTI, Litteris REVSNERIANIS.

SVB  
**AVGVSTI REGIS**  
VMBRA,  
**ILLVSTRI**  
**ALBERTINÆ**  
SCIENTIARVM MATRI FLORENTISSIMAE,  
IAM DVLCI SENSV  
IVBILA AVGVRANTI NATALIA  
PRAESIDIIS EIVSDEM  
SPLENDIDISSIMIS INDVLGENTISSIMIS  
**PATRIBVS MVSARVM**  
**CONSCRIPTIS**  
PIETATE, CONSILIO, DOCTRINA,  
REM SACRAM ATQVE LITTERARIAM  
STRENVE IVVANTIBVS.  
NEC NON  
**FLORI PATRII HELICONIS ACCRESENTI**  
MORVM INGENIIQUE GRATIA ORNATISSIMAE CONCIONI  
STVDIOSAE,  
TEMPORVM SPEI,  
PATRIAEC DESIDERIIS AC DELICII  
PAGINAS HAS  
ADFECTV PIO  
SACRAS CVPIVNT  
PRAESES ET RESPONDENS.



## I. N. I.



### §. I.

**B**ONVM IN SE, quatenus suam habet perfectio-  
nem, respectu autem ad actiones liberas habitu,  
quod fini conueniens est dicitur; Cum ve-  
ro quiuis status sui perfectionem pro fine sibi  
figat, hinc recte per omne quod nos statumque nostrum per-  
fectiorem reddit, definitur.

### §. II.

MALVM IN SE aliquid, quatenus ipsi imperfectio ad-  
haeret, appellatur; ac si ad nos respicimus, dicitur, quod  
nos statumque nostrum imperfectiorem reddit.

### §. III.

Inclinatio ad id, quod tanquam bonum (§. 1.) distincte  
nobis repraesentamus dicitur, LIBERA VOLVNTAS, quae  
quoque auersatur id, quod intellectus sibi repraesentauit  
tanquam malum (§. 2.).

A

### §. IV.

## §. IV.

Ratio itaque sufficiens inclinationis vel auersationis (§. 3.) est bonum (§. 1.) vel malum (§. 2.) cognitum.

## §. V.

Quod in se continet rationem vel inclinationis vel auersationis sufficientem, dicitur MOTIVVM.

## §. VI.

Ergo bonum & malum (§. 4.) praebent voluntati motiva (§. 5.)

## §. VII.

Cum Bonum & malum in inclinatione & auersatione debet intelligi (§. 4.) hinc patet, quod nil adpetamus, nil quoque abhorreamus nisi antea sit cognitum.

## §. VIII.

Possibilia sibi repraesentandi FACVLTAS COGNOSCI-TIVA SVPERIOR seu INTELLECTVS audit.

## §. IX.

Cum nihil boni adpetamus, nihil mali autem abhorreamus, nisi antea distincte sit cognitum; (§. 4. & 7.) hinc patet quod repraesentatio boni & mali, quae fit intellectu (§. 8.) proxima sit ratio inclinationis vel auersationis rationalis. Cum interea haec supponat bonum & malum adeoque hoc sit ratio repraesentationis nostrae; hinc malum & bonum ipsum, tanquam rationem sufficientem inclinationis & reclinacionis notare malumus, quam quidem repraesentationem.

## §. X.

Quivis qui haec penitus, perspicit, quare eueniat, ut voluntas limitetur per limitationem facultatis cognoscitiae h. e. intellectus (§. 8.).

## §. XI.

## §. XI.

Repraesentatio boni & mali cum necessario praecedere debeat, inclinationem & auersationem (§. 7. & 9.), hinc patet vnde fiat, quod pro varia conditione repraesentationis boni malique, inclinatio & auersatio nunc laxior nunc fortior atque vehementior deprehendatur.

## §. XII.

Ens intellectu & libera voluntate praeditum dicitur spiritus. Supponimus hinc Deum esse ens spirituale.

## §. XIII.

Quicquid enti vere inesse intelligitur, non vero per perceptions nostras confusas inesse tantum videtur, Realitas audit.

Est haec definitio secundum verba ab III. Wolffio in Theol. nat. part. II. §. 5. suppeditata, qui illustrationis caufa addit: Intellectum animae nostrae inesse vere intelligimus, est igitur quaedam realitas. Ast colores obiectis tales non infunt, " quales per imagines nobis exhibentur, sed tantummodo propter confusas quas de iis habemus perceptiones, inesse videantur."

## §. XIV.

Quatenus enti eidam aliqua deest realitas (§. 13.) finitum, quatenus nulla in ipso desideratur, sed potius omnes realitates compositibiles in gradu absolute summo uno actu inueniuntur, illimitatum ac infinitum dicitur.

## §. XV.

In ente infinito omnes realitates summum habent gradum, vt maior concipi nequeat (§. 14.), hinc idem est perfectissimum.

## §. XVI.

Qui alio adhuc indiget ente, quasdam animaduertit perfections

fectiones in alio, quarum sibi non est conscius; hinc non est perfectissimus. Cum autem ens perfectissimum omnes habeat perfectiones (§. 15.) hincque, nullo indigeat, proinde sequitur quod sibi sit sufficientissimum.

### §. XVII.

Nulli itaque in perfectionibus diuinis indicari possunt termini, vnde incipiunt ac quo desinant (§. 15.).

### §. XVIII.

Quoniam limitatum & finitum non potest fieri infinitum quotiescumque etiam duplicetur. Hinc ex perfectionibus finitis quantacunque incrementa duplicatione capientibus, oriri non potest perfectissimi entis idea (§. 15.).

### §. XIX.

Non itaque alio modo perfectionum infinitarum comparare nobis possumus notionem, nisi perfectiones finitas in cogitationibus omni liberamus limite. Prodit hinc quoque intellectus infiniti ac voluntatis diuinae idea, si intellectum & voluntatem humanam (§. 8. & 3.) ab omnibus vindicata limitibus nobis praesentamus.

### §. XX.

Consequentia forsitan (§. 15.) indicata ei dubia ac vacillans appareret, qui sibi ens infinite imperfectum concipere posse imaginaretur. Verum facile haec cogitationum evanescunt phantasmatata; si entis tantummodo infinitae perfectionis legitima perpenditur notio. Ens infinite perfectum est, quod omnes perfectiones ac realitates (§. 14. 15.) simul habet. Fingas itaque tibi ens quod omnes imperfectiones eodem modo simul habet, summis ideo quae cogitari possunt imperfectionibus simul laboraret. Hinc cum nemo usquam negauerit quod non existentia dici possit imperfectio, gauderet quoque ut sic dicam non existentia. Proinde tibi fingis ens quod non existit, tanquam existens, est idem itaque non ens.

Scilicet

Scilicet ens infinite imperfectum concipitur tanquam aliquid quo non datur imperfectius. Cum autem existentia entis sine dubio aliquod sit bonum, adeoque perfectio (§. 1.) ista in ente infinite imperfecto locum habere nequit, itaque haec obiectio per se destruitur.

## §. XXI.

Si velles, ut tibi concederetur sola existentiae perfectio in ente maxime imperfecto; agedum! progrediamur ultra. Ens perfectissimum in omni loco praesens est, infinite imperfectum proinde in nullo; ubi itaque occurreret ac deprehendetur? Ens perfectissimum intellectu ac voluntate praeditum est (§. 15. 12.). Infinite imperfectum careret utroque. Quale itaque ens tibi imaginaberis, cum ad nullum entium pertineat classem?

## §. XXII.

Ens infinitum datur tantum unicum. Finge enim dari plura tunc aut iisdem, aut inaequalibus gauderent perfectionibus. Si posterius; tunc aut alterutrum aut utrumque non habet omnes. Si illud, unum tibi concipis tantum, quod omnes perfectiones habet. Si hoc, neutrum erit infinitum. Cum enim tibi conciperes in his summas perfectiones diuisas, ut huic non insit, quod possideat alterum, ita ut hoc has perfectiones summas, illud possideat alias perfectiones infinitas; tunc utrumque non est perfectissimum, siquidem alterutrum caret quadam perfectione. Si statuas casum primum, scilicet plura entia infinita, iisdem ac infinitis perfectionibus praedita; unum hoc in casu non differt ab altero: cumque nulla inter haec concipi possit differentia, concipi debent tanquam unum.

## §. XXIII.

Ens perfectissimum independens est, vel quod idem est, nil datur in eo, quod rationem in ente alio habet. Pone enim idem esse dependens, non haberet omnia quae habere posset, adeoque in eo quo ab alio dependet, ipsi realitas deesset,

ac proinde non esset perfectissimum (§. 15.). Posset idem ex eo, quod sibi sit sufficientissimum probari (§. 16.). Cum enim qui sibi sufficientissimus est, nulla re indigeat, nec in eo aliquid esse potest quod rationem in alio habet.

Ex his quea modo diximus optime inferri potest, quod omnia ab hoc ente independente dependere debeant. Si fingetur aliud ens quod ab eo non dependeret, non solum esset independens, ac proinde aliud daretur ens perfectissimum, quod cum tantum sit vnicum (§. 22.) praeter aliud nullum dari potest. His sumus contenti vsque dum in sequentibus demonstratum dederimus omnia a Deo creata esse, ac ab eodem conferuari, & proinde maxime ab eodem dependere.

#### §. XXIV.

Ens perfectissimum est, immutabile. Cum enim omnes realitates ipsi uno insint actu hinc nihil praeterea ei accrescere potest; cumque omnium quae in ipso sunt rationem in se habeat (§. 23.) nulla ipsi mutatio accedere potest.

#### §. XXV.

Est proinde ens hoc perfectissimum quod vnicus est autor omnis boni omniumque perfectionum (§. 1. coll. §. 15.). Cum enim mundus & omne praeter Deum non sit ens a se (per theol. nat.) omnes quoque in eo perfectiones, vi ac potentia alterius existunt. Cum autem omnia dependeant a Deo (§. 23.). Hinc per eum tantummodo existunt.

#### §. XXVI.

Si intellectui deest realitas quedam, ita ut in cognitione rerum limitetur per defectum cognitionis; limites ipsi adiudicantur, atque hinc dicitur limitatus (§. 14.).

#### §. XXVII.

Intellectus autem qui quidquid esse potest simul est, ut nulla compossibilis realitas ei deſit, dicitur infinitus (§. 14.). Est itaque INTELLECTVS INFINITVS simultanea ac distincta omnium

omnium possibilium repraesentatio; Et proinde Deus se ipsum & omnia extra se cognoscit.

### §. XXVIII.

Enti infinito (§. 14.) infinitus quoque competit intellectus (§. 27.).

### §. XXIX.

Quoniam Intellectus infinitus omnia possibilia simul distincte sibi repraesentat (§. 27.), in ente infinito nulli deprehenduntur affectus nec appetitus sensitiuus, quoniam hi ex confusa boni vel mali oriuntur repraesentatione, quae in Deum nul latenus cadit.

### §. XXX.

Cum Intellectus in homine sit facultas (§. 8.), eaque propter possibilitatem agendi & repraesentandi denotet, hinc in ente infinito non datur facultas cognoscendi, sed intellectus ipsius actum potius infert. Nam cum intellectus infinitus omnem possibilium cognitionem distinctam uno actu simul habeat (§. 27.); nulla in ipso notio concipi potest, cuius repraesentatio tantum sit possibilis, & proinde non actu ipsi observetur. Fac enim dari respectu ipsius intellectus ideam, cuius repraesentatio in ipso mere possibilis est, adeoque extra ipsius intellectum in alio intellectu existeret, tunc in hoc casu realitas quaedam ipsi deesset, adeoque intellectus non esset infinitus.

### §. XXXI.

Cause tamen ne in superioribus ideam possibilium confundas cum idea possibili. Hac enim distinctione notata plurimae evertuntur obiectiones.

### §. XXXII.

Deus itaque omne bonum (§. 1.) sibi repraesentat distincte.

### §. XXXIII.

## §. XXXIII.

Ens dicitur bonum quatenus ipsi perfectio inest (§. 1.). Cum autem Deo respectu intellectus insint summae perfectiones, hinc summe bonus, respectu ad intellectum habito, merito dici potest.

## §. XXXIV.

Cum Deus ens sit infinitum & perfectissimum (§. 15.), hinc & voluntas ipsius infinita ac perfectissima. Est autem eadem pro nostro concipiendi modo perfectissima ad omne bonum inclinatio,

## §. XXXV.

Nec aliter concipi potest, ac quod entis voluntas sit infinita cuius intellectus infinitus est (§. 10.). Cumque enim in humanis limitetur voluntas per limites intellectus; in ente cuius intellectus omnes respuit limites, infinita quoque adeste debet voluntas,

## §. XXXVI.

Eo perfectior concipiatur voluntas, 1) quo plura ad petit bona 2) quo majori inclinatione fertur ad maius bonum, 3) & quo constantior denique est ad omne bonum ad petendum inclinatio,

## §. XXXVII.

Cum Deus sit ens perfectissimum (§. 15.) & voluntas eius sit perfectissima (§. 34.); infinito modo haec omnia in eius voluntate obseruari possunt. Adpetit itaque omne bonum verum, pro gradu bonitatis, quam intellectu infinito distincte sibi repraesentat, adpetit majori nisi maius bonum, & maximo nisi optimum, adpetit denique hoc constantissime (§. 36.) quia immutabilis est (§. 24.).

## §. XXXVIII.

Eo certiores reddimur dictorum, quo certius intellectum diuinum

diuinum esse infinitum , nec eundem aliquod bonum fugere posse (§. 28. 32.) demonstratum est.

## §. XXXIX.

Si autem quaeris, vnde eueniat quod Dei voluntas tendat ad bonum & optimum, haec potest reddi ratio. Ex perfectio-  
num intuitu oritur voluptas, hinc ex eo quod perfectum est Deus quoque percipit voluptatem. Cum vero id ex quo percipi-  
mus voluptatem, placeat, omne bonum Deo placere debet.  
Hinc nec aliter fieri potest, quam ut maius bonum, maiorem quo-  
que gignat voluptatem, & hinc placeat magis, & maximum bo-  
num, maxime placere debet; hinc perspicuit ratio cur Deus ma-  
iori nisi in melius, & maximo feratur in optimum.

## §. XL.

Quicquid est in Deo ipse Deus est. Cum enim sit ens sim-  
plicissimum res ab ipso diuersae locum habere in eodem neque-  
unt. Hinc nec eius voluntas ab eius essentia separari potest.

## §. XLI.

Inde prono fluit alueo, voluntatem diuinam esse aeter-  
nam, quamuis etiam immutabilitatis notio (§. 24.) aeternitatis  
ideam in se comprehendat.

## §. XLII.

Interim Dei aeternitas & sic demonstrari posset: Ens infi-  
nitum quicquid habere potest simul uno actu habet (§. 14.).  
Quae itaque simul existunt, sine successione adsunt; Ergo quac-  
cunque in Deo adsunt, existunt sine successione, hinc aeternum.

## §. XLIII.

Cum quicquid fini contrarium est, dicatur malum , vel  
quod statum entis alicuius reddit imperfectum (§. 1.). Hinc  
attendendus erit vbique finis, cuius aduersum tenet malum.

## §. XLIV.

Fines autem omnium quae sunt, ex attributis diuinis con-  
iunctim

iunctim sumtis sunt dijudicandi, ita ut non solum ad omnipotenti-  
am sed ad sapientiam quoque, & propter hanc ad totum in nexu  
vniuersum respectus sit habendus. Potest autem si haec adeo con-  
ciliantur, quaevis res creata quamvis limitatas habeat realitates,  
sunt ob quem exsist finem attingere, adeoque bona dici; quin  
quia & eo ipso cum exsist & suis gaudet realitatibus, certo  
sensu eundem iam attingit.

### §. XLV.

Malum metaphysicum in limitationibus realitatum, vel  
determinationum essentialium creaturarum ponendum.

### §. XLVI.

Cum creaturarum limitatae realitates fini non sint con-  
trariae (§. 44.) quamvis istae complectantur malum metaphysi-  
cum (§. 45.); hinc patet, quod omnes creaturae, quamvis ipsis  
malum metaphysicum in hoc sensu adhaereat, tamen alio respectu  
sint bonae (§. 1. & 44.).

### §. XLVII.

Nullus itaque mundus absque malo metaphysico existere  
potuit; Cum enim mundus ordinem rerum simultanearum ac  
successuum complectatur, complectitur quoque tantum finita  
& limitata, hinc absque iisdem mundi conceptus formari ne-  
quit.

### §. XLVIII.

Verba quidem duriorem praebent sensum, ast cum ma-  
lum metaphysicum circa creaturas tantum inuoluat, infinitae  
perfectionis (quae in Deum tantum cadit, qui vnicus est §. 22.)  
absentiam; hinc patet, quod quando iudicamus mundum abs-  
que malo metaphysico existere non posse, hic modo sit sensus: en-  
tia finita posse non simul esse infinita. Finge enim mundum enti-  
bus constitutum, quae nullis realitatum limitibus essent circumscri-  
pta, essent itaque infinita (§. 14.); quod tamen quia tantum da-  
tur vnicum, est absurdum (§. 22.).

### §. XLIX.

## §. XLIX.

Defectus conuenientiae actionum liberarum cum regulis malum dicitur morale. Cum actiones liberae determinentur per liberam voluntatem, haec autem limitetur per intellectum limitatum (§. 26. & 35.); hinc patet, quod, quando in actionibus liberis animaduertitur conuenientiae defectus cum regulis, hoc ex limitatione radicali intellectus proueniat,

## §. L.

Quod statum rei qua naturales effectus reddere imperficiorem putatur, malum dicitur physicum.

## §. LI.

Cum voluntas Dei omne bonum verum pro gradu bonitatis, immutabili nisi appetat (§. 37.) hinc necesse est, ut eodem modo reclinet a malo, diverso autem respectu, & pro diversis qui malo insunt gradibus,

## §. LII.

Vi itaque contrariorum, maiori reclinazione auersatur maius malum (§. 36.), maxima vt ita dicam auersatione abhorret quod maximum malum est.

## §. LIII.

Quicunque ex A B C vult A, quia omnium maxime placet, quamvis & B, C, eligere potuerit, is libere vult.

## §. LIV.

Deus ex pluribus mundis possibilibus (quod ex Theologiae naturalis principiis supponimus) praesentem elegit, eique dedit existentiam.

## §. LV.

Cum plures mundi sint possibiles, praesenti autem data sit existentia (§. 54.), hinc recte inferri potest, mundum hunc plurina in se continere bona. Quis enim, quod modo diximus negaret,

garet, idem quoque quod Deus feratur in optimum (§. 37.), in dubium vocaret.

### §. LVI.

Cum autem praeterea in mundo ad sint mala physica & moralia, eadem non quatenus mala sunt, voluisse Deum, ex iis quae supra §. 36. sq. demonstrata sunt, palam esse potest, sed quatenus connexa cum maximis bonis (§. 55.) permisisse eadem.

### §. LVII.

Cum bona in se rationem contineant inclinationis (§. 4.), quod autem in se inclinationis continet rationem dicatur motuum (§. 5.). Hinc patet quod bonum, vel quod idem est perfectiones huius mundi motiva dici possint, cur Deus eundem alii praetulerit, & reclinauerit ab iis quos non elegit (§. 45.).

### §. LVIII.

Caue interim ne vel credas, motiva haec obstante independentiae Dei a mundo vel, dependentiae mundi a Deo; Deus enim & motiorum ipsorum author est. Cum enim in intellectu perfectissimo omnes possibilium rerum nexus sibi representet distincte (§. 30.), quem optimum sibi sif sit nexus, eligit libere. Nihil itaque certo sensu ab extra accedit, quod ei praebeat motiva, cum, vt ita dicam non sint praeterea bona ac mala, quam quae sibi representat; salua igitur independentia ipsius, haec statui possunt.

Cum enim Deus ex A. B. C. voluerit A, quaeritur cur non potius B. vel C. Quodcumque itaque ad hanc quaestionem respondetur, hoc est motiu voluntatis diuinæ. Voluit autem quia fuit optimum (§. 37.) & maximam inde cepit voluptatem (§. 39.). Fuit autem optimum quia sibi representauit vt tale, quod in futurum illustrabimus.

### §. LIX.

Ideoque inter plura bona optimum voluntati diuinæ offert maximum motiuum (§. 36. 37.). Exinde notari potest Deum in uoluntate

luntate sua esse immutabilem , quia non nisi optimum eligere potest.

## §. LX.

Nemo tamen ratiocinari velit , quia Deus non aliud vult nisi optimum , & hoc ipsi maximum offerat motuum , vt nolit contrarium (§. 59.) , idem ipsi inferre necessitatem , ac proinde ipsum non esse independentem . Voluntas enim Dei est aeterna , voluit proinde optimum , cum nihil aderat praeter ipsum . Nihil itaque concipi potest , quod ab extra eius inclinationem necessitate possit .

## §. LXI.

Cum Deus sit ens perfectissimum (§. 15.) seque vt tale cognoseat (§. 27.) & denique eius voluntas maximo nisu appetat maximum bonum (§. 37.) ; hinc patet , quod Deus ad se ipsum constantissimo nisu se inclinet .

## §. LXII.

Potest itaque nihil velle Deus quod suis perfectionibus aduersum , & omne quicquid vult , iisdem conforme sit necesse est (§. 61.).

## §. LXIII.

Est itaque perpetua voluntatis diuinae regula , velle omne id , quod perfectionibus suis conforme (§. 62.).

## §. LXIV.

Deus maximo nisu inclinavit ad hunc mundum , ita vt eidem quoque dederit existentiam (§. 54.) , hinc apparet , hunc mundum inter omnes possibiles perfectionibus diuinis maxime esse conformem (§. 63.).

## §. 65.

Mundum hunc esse optimum ac perfectissimum hinc iterum inferri potest . (§. 55.) Adscribitur autem mundo perfectio , quantum rerum successuarum & simultanearum (§. 47.) rationes particu-

lares, in vniuersali quadam conspirant. Cum itaque mundus & omnis rerum in eodem nexus conspirent, in perfectionibus summis, quae in Deo sunt (§. 64.) monstrandis, eundem esse perfectissimum iudicatur. Omnia scil. successiva & simultanea cur se inuicem hoc praecise ordine excipiunt, vel quare cum aliis coexistant, rationem habent sufficientem; istae autem rationes sistuntur, tandem in vna generaliori, quae in perfectionibus diuinis deprehenditur, ita ut quae non possit ultra: quare mundus dicatur perfectus.

### §. LXVI.

Cum autem tanta sit in praesenti hac serie (§. 47.) causarum copia & hae iterum se reisoluant in alias; hinc nemo perfectionem mundi omni respectu ac ambitu comprehendere poterit.

### §. LXVII.

Meditans interim summas quae in Deo sunt perfectiones, de mundi huius praerogativa omnium optime rationem reddere potest (§. 64.): quamvis iterum ex mundi huius perfecta constructione, ad entis perfectissimi notionem legitima institui potest consequentia (§. 65.).

### §. LXVIII.

His quae dicta sunt contrariari mala, quae in nostro habitatculo deprehenduntur (§. 56.), apparent. Cum enim varii generis mala in hoc systemate occurrant, speciem propterea praeferunt, quod Dei voluntas se inclinare quoque possit, ad mala. Hinc notetur in genere Deum non appetere mala in se spectata, sed intuitu maioris boni, ad quod maiori inclinat nisus (§. 37.) permittere eadem (§. 56.). Pone itaque impedire Deum mala cum maioris boni impeditione, ab hoc reclinaret, age ret itaque quod non vult, (nam vult maius bonum §. 37.) quod absurdum.

### §. LXIX.

Velle tamen Deum malum metaphysicum (§. 58.) repugnare

gnare his videtur; hinc notandum, aut totum vniuersum non creandum erat, aut permittendum creaturas esse limitatas. Notio enim creationis ac creaturae iam inuoluit, vt omnia, quae per creationem producta existunt, limitata quoque sint & ad minimum quo ad initium existentiae & modum impetrandi perfectiones, circumscripta. Cum itaque statuis, totum sic vniuersum non foret creandum, concedis, maius bonum a Deo impediri posse; quod fieri nequit (§. 68. & 37.)

## §. LXX.

Impossibile itaque est, vt creaturae dentur infinitae, quod autem his nullam inuehit imperfectionem (§. 46. & 48.). Diceres, quod sit aliquid possibile, hoc dependere a voluntate Dei. Negatur: Ideo enim aliquid est possibile, quia eius imago in intellectu repraesentatur diuino, non autem ideo, quia Deus vult esse possibile. Si enim credere velles, posse & alias ideas scilicet impossibilis vel impossibilium Deo inesse, quae nunc non insunt, Deus non cognosceret omnia, quod est contra intellectus infiniti notionem (§. 27. & 30.).

## §. LXXI.

Idem quod diximus vel ex eo saltem intelligi potest, quod ens infinitum sit tantum vnicum; Omnia itaque praeter ipsum existentia, sint limitata adeoque metaphysice mala, necesse est (§. 45.). Hinc quiuis perspiciet facile, mali metaphysici permissionem, non pugnare cum summa voluntatis diuinae perfectione §. 37. coll. 64. & 63. Non potuit itaque non velle idem, cum creare mundum constituerit (§. 47. & 69.).

## §. LXXII.

Omne malum morale suam rationem habet in limitatione creaturarum essentiali (§. 10. & 49.), adeoque in malo metaphysico (§. 69.): quando enim interrogatur qui fiat, vt creatura non obseruet in actionibus suis conuenientiam cum regulis; alia ratio dari nequit, quam quia intellectus finitus est (§. 49.). Infinitus enim & decipi nescius, labi nequit, quia ignorare atque

que falli non potest. Non potuit itaque non, quin Deus permisit mali moralis possibilitatem, nam aut hoc permittendum, aut decretum de producendo vniuerso intermittendum erat (§. 69.). Fuit autem posterius contra eius voluntatem (§. 37. & 74.) ; quod ultimum eo! clarissimum, quia mundus est perfectissimus, concipi potest (§. 65.).

### §. LXXXIII.

Quando autem quaeritur: cur malum morale non impediuerit, cum reclinet a quoquecumque (§. 52.), responderi potest, quod ipsa perfectissima voluntas haec non permettere potuerit. Nam cum mundus hic sit optimus (§. 51.), non idem iam eset, si malum non adfuerit; non tamen ideo malo adscribimus, vt aliquid ad perfectionem huius mundi per se attulerit, sed quia in ea quam Deus elegit serie, maximis bonis adjunctum erat (§. 6.68.); aut itaque malum non impediri debuit, aut eligendus eset mundus minus perfectus; quod pugnat cum voluntate Dei (§. 37.). Taceo, quod sapientia libertatem entium rationalium tollere nequeat, adeoque non possit non permettere quoque libertatis abusum, per quem malum profluit morale (§. 72.).

### §. LXXXIV.

Cum Deus propendat in bonum (§. 37. & 39.) hinc potuit non summo nisi, malum quod permisit, dirigere in bonum, ita vt quoque perfectiones mundi promoueantur. Dirigere autem Deum malum quoque morale ita, vt perfectionem saepe promoueat in partibus, in toto semper, experientia cum iis quae in sequentibus tradituri sumus docent; multae hinc quae de permissione mali opponi possent obiectiones corruunt.

### §. LXXV.I

Notandum autem, quando loquimur de malo morali, tanquam non pugnante, cum voluntate Dei permisiva, quod hoc ita sit intelligendum; quod Deus scilicet propter limitationem creaturarum eiusdem permiserit possibilitatem (§. 72.), non autem idem produxerit; quippe notum est malum morale non requirere causam pro-

productiuam & efficientem, sed, si ita loqui fas est, tantum deficiemtē (§. 73.). Quemadmodum malum morale in genere defectum tantummodo inuoluit (§. 49.).

### §. LXXVI.

Cum voluntas diuina feratur in omne bonum (§. 35. 37.) vel quod idem est in omnes perfectiones, hinc colligi potest facile, Deum, creaturis quas ad existentiam euerit, tot tantasque tribuisse perfectiones, quot quantaeque in connexione cum toto mundi systemate sunt possibiles.

### §. LXXVII.

Quod modo indicauiimus, inde quoque elucere potest. Fertur diuina voluntas maxime in id, quod suis perfectionibus conforme est (§. 63.); cum autem perfectionibus suis, creaturarum perfectiones quo maiores sunt, eo magis quoque conformes sint, hinc noua ratione, ex entis perfectissimi idea euictum est, velle Deum tot creaturarum perfectiones, quot possibiles sunt, velle quantas quantas ferre possunt ac decet in nexus cum toto vniuerso, maximas.

### §. LXXVIII.

Perpetua Dei voluntas tribuendi vnicuique creature, omnes possibiles perfectiones, dicitur eius BONITAS. Cumque sua attributa Deus sibi figat pro regula (§. 63.), hinc conficitur, omnia que decernit ac operatur Deus, secundum regulam bonitatis esse decreta.

### §. LXXIX.

Cum vero Deus maximo sensu inclinet ad omnes in genere perfectiones, easque in specie quae suis attributis conformes sunt (§. 63.), hoc est maximas (§. 77.); cumque praeterea ad easdem feratur constantissime, ac proinde omni tempore, & mensura, hinc Deus quoque SVMME BONVS, & sensu eminentissimo bonus dici potest, imo his evincitur, certo sensu neminem praeter Deum esse bonum. Intelligitur hinc quoque, quo sensu bonitati diuinæ adscribi possint diuitiae,

C

### §. LXXX.

## §. LXXX.

Quod ultimo diximus loco vel ex eo colligi posset. Deus vnicuique enti tantum perfectionum exhibet, quantum in connexione cum toto systemate fieri potest (§. 76. 77.). Cum itaque maioris boni concessio non sit possibilis, nec maior bonitatis gradus cogitari potest. Hinc Deus est summe bonus. Diceres in alio rerum nexus maiorem tamen creaturarum perfectionem esse possibilem. Verum cum Deus inclinauerit ad hanc seriem, quia perfectissima erat, alia perfectione concipi nequit (§. 65.); adeoque nec tibi maiores in creaturis perfectiones imaginari in optimo ac perfectissimo systemate poteris.

## §. LXXXI.

Omnes perfectiones quas in entibus animaduertimus, respectu aliarum aut maiores sunt, aut minores, hinc maxime inuicem connexae, & Dei bonitas non pro se solum subsistit, sed cum aliis attributis indissolubili nexus est coniuncta. Hinc si de Bonitate Dei limatum ferre volumus iudicium, respectus ad totum vniuersum non solum, sed etiam ad omnia adtributa Dei non est negligendus (§. 66. & 67.).

## §. LXXXII.

Vt intelligantur quae modo sunt indicata, meditandum: Omne id tantum iudicari bonum, imo optimum, quod ad maiorem huius systematis confert perfectionem. Imo omnia Dei attributa lancem dirigere in pendendis ac concedendis vnicuique enti perfectionibus. Si itaque instituitur quaestio: cur modo has vel illas concederit huic vel isti enti perfectiones; de librandus foret totius vniuersi nexus, & arcifissimum attributum diuinorum vinculum (§. 81.).

## §. LXXXIII.

In his quae diximus cardo, vt dici solet rei vertitur, & magnum quae indicata sunt usum praebent, quando de limitata vel vt sic dicam, exigua huius vel illius entis perfectione quaestio: cur non potius sit maior? mouetur. Caeputiunt qui Bonitatem Dei

Dei impugnatum eunt, ex huius vel illius hominis, vel entis, citra respectum ad omnem humanam societatem, & ad totum vniuersitatem conditione. Quoniam vero omnem nexum non inspicimus & de bonitate in speciali casu vix iudicandum erit.

#### §. LXXXIV.

Omnes creature itaque possunt considerari tanquam specula bonitatis diuinae. Cum enim omnes creature quotquot sunt, tot perfectiones quo possibles sunt sibi infixas teneant (§. 76.), & in his perfectionibus enti perfectissimo sint conformes (§. 64.), hinc de eodem testantur. Cumque in primis sit bonitas diuina, quae has creaturis concessit perfectiones (§. 78.), hinc istae loquuntur, Deum esse summe bonum (§. 79.), adeo que eundem tanquam in speculo repraesentant.

#### §. LXXXV.

Videri inde potest: quomodo Deus quoque erga bruta & res in animatas bonum se exhibeat, & haec de ipsis bonitate ferant documenta. Absit itaque ut entia rationalia tantum, bonitatis suae referant praefigurationem.

#### §. LXXXVI.

Notandum, cum dixerim, res creatas tanquam diuinae bonitatis considerari specula (§. 84.85.), non inferri posse, Deum indigere ad sui cognitionem, iisdem; quemadmodum nos, non nisi speculo nosmet ipsos intueri possumus; siquidem ille non opus habet ut intueatur hoc speculum, se ipsum enim perfectissime cognoscit (§. 27.); sed potius hoc creaturis, ut ipsum & in primis bonitatem suam intuerentur, praebere.

#### §. LXXXVII.

Cum innumerabilis sit rerum creatarum copia, atque miranda maxime perfectionum varietas, hinc infinitae quoque in repraesentanda Dei bonitate variare easdem, coniicitur; quamuis earum quaeque suo modo sapientissimum sui depraedicet architectum.

C 2

#### §. LXXXVIII.

## §. LXXXVIII.

Non officit iis quae dicta sunt ac demonstrata, si diceres: Cum res creata perfectione, clarus perhibeat bonitatis diuinæ testimonium (§. 87.), cur non perfectiorum maiorem condiderit copiam. Et cum voluntas eius feratur in bonum maximum (§. 37.), cur non minus perfectas, quas condidit, ad maiorem euexerit perfectionis gradum; cur ipsi e contrario placuerit, in perfectionum gradibus ita descendere ut creaturarum hanc exigua multitudo, videatur imperfecta. Facilis est dubii huius solutio:

1) Quaelibet creaturarum pro sua ratione est perfecta, omnia enim habet, quae talis creatura, pro fine obtinendo habere debuit (§. 44.).

2) Omnia in vniuerso sunt connexa, ita ut mundum representare machinam nemo dubitet; nullus autem, nisi qui scientia mechanicae expers est, interrogaret: cur minoris magnitudinis rotae in eadem conspiciantur; cum hae, maioris formae partibus ita implicatae ac connexae sint, ut earum nulla abesse possit (§. 83.), nisi destrueretur totum, ideoque in mundo ultima esse propter primum inferimus.

3) Quod maximum ac praecipuum est, notandum: voluntatem diuinam nihil decernere, nisi quod intuitus est intellectus, modo temporis absit interuallum. Cum itaque intellectu suo, distincte sibi representauerit, perfectiones creaturarum compassimiles, easdem quoque simul decreuit (§. 70.). Cumque praeterea omnia attributa in Deo sint connexa (§. 81.), hinc quando queritur: Cur, Deus non plures praefiterit hoc modo perfectas, quemadmodum circa quasdam fecit? non ad absolutam potentiam solum, verum etiam ad sapientiam erit respicendum.

## §. LXXXIX.

Sapiens inde & illustrior est bonitas diuina, quando ita subordinat fines, ut magis necessarius ac praefantior subordinetur minus necessario ac praestanti. Exinde enim colligi potest, Deum ad maiores in nexus inclinare perfectiones. Potest v. g. Dei

Dei bonitas mala auertere physica , sed cum ista excellentem saepe ferant fructum, permittit imo infert eadem. Posset omnipotens , imo vellet bonitas hunc vel illum sanare aegrotum, sed praeuidet sapientia, fieri, ut abutatur statu sano, eundemque ipsi fore impedimento meliorem obtinere finem, quare Deus ipsa mali physici permissione se praefat bonum imo optimum.

### §. XC.

Nouum Deus summae bonitatis quae sapientissima est edidit documentum , cum non tantum ipse subordinauerit fines (§. 89.) verum cuique creaturae vires , suppeditauerit sufficienes ad finem obtinendum. Finis autem quem cuique rei creatae praefixum exhibuit, est perfectio quanta possibilis est. Nisi enim Deus vires ac media suppeditauerit, reuera a scopo , qui est perfectio quanta possibilis est, reclinauerit. Quod cogitari nequit. Idem monstrat sapientem bonitatem. Pro hac vult Deus finem, qui est in hoc passu creaturarum perfectio. Illa vero ad hunc finem suppeditat media accommodatissima. En! firmissimum attributorum in Deo vinculum.

### §. XCI.

Quia Deus in electione mundilibere egit (§. 53. 54.), & praeterea ens est infinitum & unicum, adeoque nullum sui habet simile (§. 22.), multo minus superioris (§. 16. & 23.), hinc Dei voluntatem independentem ac liberimam esse conficitur.

### §. XCII.

Deus itaque summa vult libertate perfectiones quot sunt possibles.

### §. XCIII.

Me tacente qui quis intelligit summam in Deo esse libertatem, quamvis suis perfectionibus contrarium aliiquid velle non possit, vel potius nolit (§. 58.). Notanda interim est sequens dictorum illustratio. Omne quod in Deo est, est ipse Deus (§. 40.), hiac omnes diuinae perfectiones Deus vocari possunt.

Quod si itaque tibi imaginareris, posse Deum contrarium suis perfectionibus velle, tum diceres, velle Deum, quod non sit Deus, quod dictu horrendum,

§. XCIV.

Nec obstat libertati, quod non possit non, optimum praeferre minori bono, siquidem Deus se ipsum libere determinat, nec vis externa quae eum cogit, adest (§. 91.). Fuit quoque aliud possibile, & diuinae ad illud efficiendum sufficiant vires. Nec homo quid adipetit, nisi ad bonum cognitum respectu habito (§. 4.), nullus tamen eius libertatem in dubium hanc ob causam vocaret,

§. XCV.

Et ex entis perfectissimi notione (§. 15.) eius liberrima notari posset voluntas, si necessaria videretur vltior demonstratio;

§. XCVI.

Hinc ad perfectiones praefandas creaturis, Deus nullo modo ab extra obligari potest (§. 95. 91.). Dicimus OBLIGARE alium, si eundem determinamus, nobis exhibere aliquid, ita, vt non denegare possit idem. Cum autem nihil in nobis sit, quo Deum determinare possimus ad praefandum nobis aliquid, siquidem adeo capaciter largitus est, vt nobis aliquid praestari possit; hinc nec eundem ad aliquid praefandum obligare possumus.

§. XCVII.

Quicunque alteri praefat ad quod obligari nequit quodque & denegare potuit, MERERI DE ALIO dici potest,

§. XCVIII.

Ergo Deus maxime meretur de omnibus rebus creatis. Cum enim iisdem praefiterit perfectiones, easque quantae possibiles sunt (§. 77.); haec vero eundem ad hoc praefandum non obligare potuerint (§. 96.), sed potius libere praefitiae sint (§. 92.); hinc patet Deum de omnibus rebus creatis maxime meritum esse,

§. XCIX.

## §. XCIX.

Diceret: quod post existentiam tamen Deum' res creatae ad praefundum aliquid, obligare possint; hinc notandum: Creaturas nil posse praestare Deo ad quod non maxime essent obligatae, summum Dei in hoc vniuersum loquitur dominium, hinc de illo mereri post existentiam quoque nequeunt.

## §. C.

Omnis itaque quas Deus creaturis praefat perfectiones sine vilo ad eorum merita respectu habito, quippe nullum est, exhibet (§. 99.).

## §. CI.

In solis hinc mensa positum est, quod repetere iubet, nec hominum quempiam Deo aliquid posse demerere (§. 97.); quippe ab eo dependet (§. 23.) & omnis perfectionis, adeoque & illius, quam praestare hominem tibi conciperes author est, & maximo denique in eum pollet dominio (§. 99.).

## §. CII.

Quicunque alteri absque vilo merito exhibet bona, GRATIAS eadem ipse exhibere dicitur.

## §. CIII.

Hinc quid sit GRATIA intelligitur. Quicunque enim alteri bonum absque respectu ad eius merita, vel iis prorsus deficien- tibus, concessit libere, eidem exhibuit gratiam.

## §. CIV.

Quando interrogatur: cur Caius Cneii praedicet gratiam? non aliter potest responderi: quam quod hic bona quidem praefiterit illi, qui nullo respectu de se meritus erat, nec mereri tandem potuerit.

## §. CV.

Homines non de Deo mereri posse, supra notatum (§. 101.). Homo mente captus solummodo obiiceret: sua miseria homines vel res creatas merere apud Deum perfectiones, siquidem fleibile est meritum, nec miseria considerari potest, ut causa gratiae diuinae sed potius ut eius occasio.

## §. CVI.

## §. CVI.

Accedit, quod miseria haec ad quam innuitur hac obiecione, homines sua culpa sibi contraxerint, cum antea felicissimi essent creati. Adeoque ista nouas potius imperfectiones & poenas, quam perfectiones meritos esse. Quis autem inuerteret: felicissimum hunc statum, ad quem per creationem euerterant, meritos fuisse eosdem, quippe rabidus vix diceret quemquam posse aliquid merere, cum nec meriti, nec gratiae capax est, vel cum non existit. Non entis enim nullae sunt affectiones.

## §. CVII.

Deus creaturis exhibuit gratiam. Praestit enim omnes possibiles perfectiones iisdem (§. 76.), easque exhibuit gratis (§. 105. & 106.) & absque merito; Proinde Deus creaturis exhibuit gratiam.

## §. CVIII.

Qui gratiam exhibet alteri dicitur GRATIOSVS. Evidem vox haec apud authores quandam, qui ingenio est iucundo & proinde gratiam ac fauorem faciliter demeretur negotio, denotat; ast cum nec plane apud eosdem inusitatim sit, vt eundem qui gratiam exhibet, significet, & communis loquendi vobis nostrum vindicat significatum, eodem adhibere hoc vocabulum haud duximus illictum, praesertim cum quacunque Philosopho vti concessum sit vocem, si modo conceptus, quem eidem iungere vult enodetur.

## §. CIX.

Ergo Deus est gratiosus (§. 107. & 108.).

Cum Deus omnibus rebus creatis exhibeat bona, quamvis de se nullatenus mereantur (§. 85.) sed ipse potius de iisdem mereatur quam maxime (§. 98.). Inde consequitur, Deum erga omnia se praestare gratiosum.

## §. CXI.

Gratia quatenus omnibus exhibetur, VNIVERSALIS quatenus quibusdam tantum, dicitur PARTICVLARIS.

## §. CXII.

Deus unicuique creaturae tot tribuit perfectiones, quot sunt possibiles (§. 76.77.), tribuit hoc absque merito (§. 98. & 100.) inde inferimus gratiam diuinam esse vniuersalem (§. 100.).

## §. CXIII.

## §. CXIII.

Omnibus autem perfectiones quotquot possibles sunt, adeoque gratiam absque respectu ullius utilitatis esse exhibitam, praeter ea, quae (§. 106.) indicata leguntur, vel exinde quoque euinci potest, quia Deus sibi ipsi sufficientissimus (§. 16.) nulla re indiget, nec cuiquam gratiam exhibere tenetur, ut item exspectaret officia; quamvis dici non possit gratia, quando ex bonis aliis exhibitis, aliqua in nos redundatura speramus.

## §. CXIV.

Qui negaret, Deum erga omnes esse gratiosum, crederet aliquid boni esse, quod Deum non habet auctorem (§. 25.). Cum vero hoc absurdum, & omne quicquid est perfectionum in uno quoque ente, a Deo sit, omneque prorsus excludatur meritum, hinc quiuis intelligit, omne ac quocunque bonum, quod inest entibus, diuinae gratiae certissimum esse testem ac praecomenem.

## §. CXV.

Omne quicquid in Deo, ipse Deus est (§. 40.), proinde quoque infinitum; quia itaque in Deo gratia est (§. 107.), eandem quoque esse infinitam, quiuis intelligit.

## §. CXVI.

Est itaque Deus infinite gratiosus, quod ex eo quoque, quod gratia diuina sit vniuersalis (§. 112.), legitimo nexu euoluti potest.

## §. CXVII.

Cum omne quicquid in Deo est, sit infinitum (§. 40.), ac proinde quemadmodum Deus ipse aeternum, hinc quoque eius gratiam non nisi aeternam concipiendam esse, nullum dubium est, quamvis in tempore per exhibitionem perfectionum ac hororum ad cognoscendum sit proposita.

## §. CXVIII.

Ab aeterno proinde Deus fuit gratiosus. Nam cum sit immutabilis (§. 24.), hinc sequitur, quod erga omnes in genere creaturas quamvis adhuc dum futurae fuerint, se exhibere firmiter statuerit gratiosissimum.

## §. CXIX.

Omnes itaque res creatae ab aeterno fuere obiectum gratiae diuinae

diuinae. Cum enim Deus in tempore omnia bona possibilia exhibuerit entibus ; haecque exhibere ab aeterno decreuerit (§. 118.), hinc patet, adsuisse in Deo gratiam erga omnes creature.

§. CXX.

Idem & sic demonstrari potest. Quicquid Deus habere potest simul habet (§. 14.), gratiam habet, adeoque habere potest, ergo eandem simul habet ac existit.

§. CXXI.

Ex his quae diximus, gratiam diuinam esse ESSENTIALEM simul intelligitur. Nam cum omne quicquid in Deo est, ipse sit Deus (§. 40.) & ad ipsius essentiam pertineat ; Deo hinc adscribi essentialem gratiam, quiuis videt.

§. CXXII.

Adeoque Deus per essentiam suam gratiosus est, cumque mutari nequeat (§. 24.), & constantissimus ipsi insit natus tribuendi perfectiones (§. 76.), hinc quoque in eo, quatenus gratiosus est respectu, mutari nequit.

§. CXXIII.

Cum gratia Dei sit essentiale eius attributum, principium mali inepte fingitur Deus. Essentialia enim sunt, sine quibus ens esse non potest. Gratia est Essentialia Dei attributum, ergo sine eodem non concipitur Deus. Principium mali nulla gauderet gratia, quia in gradu infinite imperfecto conciperetur, hinc per se patet, principium mali si quod adesset, in epte dici Deum.

§. CXXIV.

Mirabilis eluet Dei gratia, si perpendimus parum gratiarum actionis ac laudis ; ei retribuere creature, cum tamen ipse gratiam exhibere perget. Nunquam excellentior atque intensior concipi potuit eadem, quam quae ingratis exhibetur ac hostibus. Quis autem negari potest Deum his se praestare gratiosum.

§. CXXV.

Cum omnis creaturarum gratia sit finita, omne autem finitum non possit fieri infinitum, vel eidem adaequare, hinc facile perspicitur, nulli mensurae, ex bonitate creaturarum sumatae, diuinam comparari posse gratiam, hincque esse immensurabilem atque immentam.

§. CXXVI.

## §. CXXVI.

AMOR in genere, quidem est adpetitus sensitius, ad voluptatem ex perfectione entis capiendam. Deo autem cum praedicatur in specie, est seria voluntas ex sui ipsius & totius vniuersi perfectione capiendo voluptatem (§. 39.).

## §. CXXVII.

Cum Deus mundum hunc ad perfectiones suas monstrandas creauerit (§. 63. 64.), cumque porro hunc praefiterit perfectum (§. 65.), capere eundem voluptatem ex perfectionibus eiusdem non dubitari potest, hinc dicitur amor; & amare mundum-

## §. CXXVIII.

Qui variis imperfectionibus cinctus est atque cum iisdem collectari debet, MISER audit.

## §. CXXIX.

Bonitas gratia vel amor quae misericordia exhibetur vocari possunt MISERICORDIA.

## §. CXXX.

Cum gratia diuina omnibus qui maximis imperfectionibus laborabant sit exhibita, dum in prima bonitatis donatione ex non existentibus facta sunt existentia (§. 106.), adeoque ante existentiam, si ita loqui licet, fuerint misera, hinc Deo in esse misericordiam, eamque omnibus quotquot sunt esse exhibitam, perspicitur.

## §. CXXXI.

Omnibus quae dicta sunt collatis, bonitatem, gratiam a morem & misericordiam, tanquam unum concipi posse, constat; in eo enim conueniunt, quod Deus concederit perfectiones, iis quae easdem non meruerunt, hinc bonitas Dei gratis est exhibita, adeoque hoc respectu de Deo praedicatur gratia. Cumque ipse sibi, propter haec quae praestitit non nisi placere possit, & delectari perfectionibus vniuerso exhibitis, hinc dicitur amor; eumque iste mirabili modo inclinauerit ad miseros hinc efferrit poterit per misericordiam.

## §. CXXXII.

Cum tamen haec pro nostro concipiendi modo, concipiatur tanquam distincta, hinc ita nobis perfectissimam hanc ad

omne bonum propensionem in Deo forte repraesentare possumus. Misericordia omnem imperfectionem maximo nisu auertere studet; bonitas autem eadem intensione omnes creaturas, quantum possibile est praestare perfectissimas. Bonitas itaque collationem perfectionum, gratia inspecie in eos qui non mereri possunt de eadem, misericordia autem liberationem ab imperfectionibus de notat. Amor vero ex vtraque voluptatem & beneplacitum capit. Possunt haec omnia uno conceipi actu, quemadmodum quoque in ciuilibus gratia complectitur misericordiam, v. gr. si peccatori morte plectendo conceditur vita, tunc magistratus dicitur gratiosus exhibere gratiam, cum tamen imperfectionem quae hoc in easu mors est, remoueat; eadem autem dicitur amor, cum ex vita eius qui secundum leges morti proximus fuit, redundat voluptas.

### §. CXXXIII.

<sup>201</sup> Cum Deus pro fine totius vniuersi ultimo manifestationem suarum perfectionum posuerit (§. 64. & 65.), voluit quoque manifestare se esse gratiosissimum. Nulla enim ratio esset, cur Deus vnam atque alteram non autem omnes perfectiones aequali nisu voluerit manifestare, imo manifestasse Deum per totam translationem superiorem & ex eo praeprimis, quod omnes res creatae specula bonitatis sint (§. 84. 95.) constat.

### §. CXXXIV.

Omnis res creata ab ente infinito existentiam naecta, eandem conseruare nequit. Cum enim mundus non sit ens per se subsistens (per princip. Cosmolog.) & ea proper per vim eius qui eundem produxit solummodo subsistat, hoc est per vim Dei; Hinc omnis in mundo creatura conseruatur in continua existentia & per Deum durat. Pone enim creaturam posse absque illo existere, tunc ab ente infinito non dependeret (§. 24.). Quod, quia ens independens tantum datur unicum (§. 22.), statuitur absurdum. Noli inde omnes res creatas imperfectas esse inferre. Imperfectum enim, quod non habet, quod habere posset, ac deberet, audit. Creatura autem illud non habere potest, vt sine Deo existat, hoc est, vt sit independens, adeoque hanc ob causam imperfecta dici nequit.

### §. CXXXV.

## §. CXXXV.

Posset hoc & sequentem in modum euinci. Existentia est bonum, quoniam eodem ad capacitatem excipiendi bona euehi-  
mur, hinc quoque continua existentia. Cum vero omne bo-  
num proficiatur a Deo (§. 25.) ; inde patet, continuatam  
creaturarum existentiam a Deo esse. Plura autem circa hanc  
consideranda veniunt, hinc omne quicquid Deus agit circa res  
creatas, postquam conditae iam sunt, dicitur PROVIDENTIA.

## §. CXXXVI.

Huius autem hanc omnium creaturarum conseruationem  
esse conditionis, facilissimo modo concipi potest, quod scilicet  
Deo placeat, continuare voluntatem suam, de rerum omnium  
existentia. Placet autem haec voluntas, quia ex intuitu perfe-  
ctionum voluntatem capit (§. 39.). Dicitur autem haec conti-  
nuata voluntas CONSERVATIO.

## §. CXXXVII.

Hac loqui maximum summi numinis erga omnes creatureas,  
gratiam per se patet; nam cum omnis res creata per Deum in sua  
duret existentia (§. 134.), & gratiosissimus easdem quas semel  
concessit perfectiones, conseruet quoque (§. 136.), haec con-  
seruatio perfectionum, euidem gratia est, quam earundem con-  
cessio. Conseruare autem Deum creatureas absque earum meri-  
to, quis qui perpenditer quod (§. 99.) diximus concedet.

## §. CXXXVIII.

Gratia scilicet diuina consistit in concessione perfectionum  
iis qui non merent easdem (§. 106. & 107.), hinc quoque con-  
tinuata haec concessio, gratiam diuinam declarat. Cum enim  
Deus suam voluntatem, circa has perfectiones continuet, nec  
easdem retrahat, nouum admirandae gratiae suae exhibet docu-  
mentum. Nullo autem modo res creatas de Deo merere (§. 99.)  
indicauimus.

## §. CXXXIX.

Cum Deus conseruet omnes omnino creatureas, haecque  
conseruatio gratia dici debeat (§. 137. 138.) hinc patet quod re-  
spectu conseruationis gratia diuina sit vniuersalis.

## §. CXL.

Ordo naturae & quicquid secundum eiusdem leges accedit,  
perfectus

perfectus est, nam intuemur in eodem, consensum plurium a se inuicem differentium in uno, quod mundum optimum constituit, & aliorum quoque inferuit bono ac usui, cumque dependeat a Deo, & ab eo sic & non aliter praecise determinetur (§. 23.), hinc bonitatis & gratiae testis.

## §. CXL.

Cum bonitas Dei sapienter administrata, & per omnipotentiam complementum fortius dicatur prouidentia, hanc loqui gratiam diuinam per se patet (§. 13.). Verum haec ad sequentia transferimus. Quemadmodum quoque aduersa adeo, quae hominibus saepè accidunt, suminam Dei erga nos gratiam praedicare, & poenas ipsas ad totum systema respectu habito tanquam gratiae documenta considerari posse in posterum sumus adstructuri.

## §. CXLII.

Homo omnium creaturarum est praestantissima, ac inter omnes res visibles, maximis praedita dotibus ac perfectionibus. Cum vero gratia diuina ex maioribus concessis perfectionibus, maiori splendore quoque eluceat (§. 87.), hinc patet; quod Deus in homine, illustrissimum bonitatis suae documentum voluerit exhibere.

## §. CXLIII.

Deus homini tribuit facultatem, non solum vniuersum quod speculum bonitatis diuinae est (§. 84.), verum etiam se ipsum cognoscendi. Cum vero ipse sit ens perfectissimum, ex intuitu autem perfectionum voluptas oriatur, hinc ex intuitu maximum, maxima quoque voluptas. Inde sequitur, exhibendo Deum facultatem cognoscendi se ipsum hominibus, se gratiosissimum exhibuisse.

## §. CXLIV.

Cum voluntas sit inclinatio ad bonum (§. 3.) proinde ad perfectionem (§. 1.). Hinc voluntatem seu facultatem appetitiam diuinae gratiae esse testem (§. 3.) patet, quod pari modo de reliquis facultatibus ac donis humanis fortis demonstrare possemus, nisi maiora adessent, ad quae citato pcede properandum.



## §. CXLV.

64199


AB 64-199



TA -> 2C

TD 17





## Farbkarte #13

B.I.G.  
B.I.G.

K  
 GRATIA DIVINA  
 DECIMEN  
 AE NATVRALIS  
 RIMVM,  
 EVM  
 DSISSIMVM  
 INCENS,  
 AMPLISSIMA FACVLTATE  
 ILOSOPHICA  
 ECEPTIONE  
 EANDEM  
 TVEBITVR  
 RAESES  
 CVS SAMVEL  
 BOCK,  
 REG. BOR.  
 SPONDENTE  
 WOLFGANGO  
 LANITIO,  
 SSO, PHIL. ET MEDIC. CVLTORE,  
 XLIII. D. XX. NOVEMBR.  
 HORA VIII - XII.  
 OARIO PHILOSOPHORVM.  
 NTI, Litteris REVSNERIANIS.